

nire: sed Christianæ fidei documenta cogantur tenere firmiter & seruare: ne amplius de eorum numero videantur, de quibus dictum est, Confitebitur tibi, cum benefeceris ei. Datum Tuscul. V. Idus Septembris.

60. 1165 — 1181, d. 9 Sept. Tusculanum.

Påfv. ALEXANDER III:s Bref till Ärke-Biskopen i Thronhem och f. d. Biskopen i Stavanger, med befallning att Munken NILS, som var född i Estland, måtte lemnas Biskop FOLKE till biträde vid Esternas omvändelse.

K. h. 2: 623. n:o 26.

*Alexander Papa III. Trundensi Archiepiscopo, & A. quondam Sta-ueng. Episcopo.*

Lex diuina & humana desiderat, & debitum caritatis exposcit, vt bono & vtilitati communi debeamus intendere, & ad reuocationem & conuersionem infidelium operam omnimodam & sollicitudinem adhibere. Inde est quod prudentiam vestram rogamus attentius & monemus, venerabili fratri nostro Fulconi Estonum Episcopo, qui ad conuertendam gentem illam diuina gratia inspiratus ministerium prædicationis & laborem proponit assumere, Nicolaum monachum, qui de gente illa sicut accepimus est oriundus, virum religiosum atque discretum, in socium concedatis: vt tantum bonum possit perficere, & gentem illam ad agnitionem veri luminis, & ad culturam & doctrinam Christianæ fidei, verbo prædicationis auxiliante Domino reuocare, & vobis exinde valeat æternæ mercedis cumulus prouenire. Datum Tuscul. V. Idus Septemb.

61. 1165 — 1181, d. 17 Sept. Tusculanum.

Påfv. ALEXANDER III:s Bref till Linköpings stift, med befallning att visa Biskop KOL den vederbörliga lydnad, som de förut visat Bisk. Gisle.

K. h. 2: 623. n:o 27.

*Alexander Papa III. vniuersis tam clericis quam laicis Lingacopensis Episcopatus.*

Decet vniuersitatem vestram, quæ ad perfectionem virtutum & salutem pertinent animarum, toto studio cogitare, & ea voluntario effectu perficere, per quæ gratiam possitis altissimi acquirere, & ad æternæ felicitatis gloriam cum auxilio diuini numinis peruenire. Cæterum quoniam sine obedientiæ

dientiae virtute nemo Deo perfecte potest placere, aut acceptum seruitium reddere, per Apostolica vobis scripta præcipiendo mandamus & mandando præcipimus, quatinus venerabili fratri nostro Coloni Episcopo vestro, sicut bonæ memoriæ Giloni prædecessori suo fecisse noscimini, omnimodam obedientiam & reuerentiam impendatis, & in his quæ Dei sunt, & ad vestrarum animarum spectant salutem, monitis & mandatis eius humiliter parere curetis, & ei de iustitijs suis integre, & plenarie respondeatis: ita quod apud Deum pro humilitate & obedientia vestra peccatorum vestrorum veniam & gloriam valeatis promereri æternam. Si qui autem vestrum ei contumaces vel rebelles extiterint, sententiam quam idem Episcopus propter hos in eos rationabiliter tulerit, auctore Domino ratam & firmam habebimus. Datum Tuscul. XV. kalend. Octob.

62. 1167—1178, d. 8 Nov. Benevent.

Påfv. ALEXANDER III:s Bref till Upsala stift med befallning att ingalunda draga någon kyrkans Prelat för verldslig domstol, helst dessa höra under Årke-Biskopen i Upsala, hvilken åter är ingen annan än Påfvens dom underkastad.

A. 1. 2. 1.

ALEXANDER episcopus seruus seruorum dej. Dilectis filiis vniuersis vpsalensis ecclesie parrochianis. salutem. & apostolicam benedictionem. Suggestum est nobis. & quorundam relatione monstratum. quod quidam uestrum diabolica suasionem commotj. aduersus ecclesiarum prelatos insurgere consueuerint. & diuersa eis crimina obicientes. ipsos super his laicorum iudicio stare. soliti sunt cohercere. vnde quum res mira omnibus uideretur. si ovis pastorem suum iugulare deberet. aut in eum sententiam dampnationis proferre. vniuersitati uestre per apostolica scripta mandamus. atque precipimus. quatinus talia decetero in animarum uestrarum periculum nullatenus attemptetis. sed uenerabili fratri nostro S. archiepiscopo uestro. quem nos ob salutem & profectum uestrum ad partes illas direximus. sicut patri & pastori uestro. debitam in omnibus obedientiam & reuerentiam humiliter exhibeatis. nec eum aut alium quemlibet ecclesie prelatum coram laicis accusare. seu ad seculare iudicium trahere. presumatis. Jamdicti siquidem archiepiscopi persona nullius examini preterquam Romani pontificis — (*rasur i orig.*) noscitur subiacere. Quare quod alicuj regi. seu principi licitum nequaquam existit. uobis non debetis contra salutem uestram aliquatenus usurpare. quum exinde omnipotentis dej indignationem possetis non immerito plurimum formidare. Datum Beneuenti VI. Idus. Nouembris.

Blybullan hängande i ett oblekt snöre, likt vår tids segelgarn. Se Tab. 4.

*Sv. Diplom.*